

Q. D. B. V.  
 DISSERTATIO  
 DE  
 PENETRATIONE  
 CORPORUM,  
 SEU,  
 AN DUO VEL PLURA CORPORA  
 IN EODEM LOCO ESSE  
 POSSINT.

Ad Illustrandum Aristotelis lib. 4. Physicorum  
 Cap. 6. 7. 8.

*Quam*  
*Amplissimâ Facultate Philosophicâ consentiente*  
*In Alma LIPSIENSI,*

PRÆSIDE  
 Viro Cl.

M. VALENTINO FRIDERICI,  
 S.S. Theol. Baccal. Facult. Phil. Assessore,

Studiorum suorum Promotore ac Fautore  
 omni honoris cultu suspiciendo,

*Publicæ Disquisitioni*  
*subjicit*

LEONHARDUS Ferber/  
 Bonar. Art. & Phil. Baccal.

d. 14. August. A. O R. 1672.  
 H. L. Q. S.

LIPSIÆ,  
 Literis CHRISTIANI FICKII,

*a. XXXVI. Gr.*

Coll. diss. A  
 36, 61











mana non est pura Monarchia, nec tamen est  
impura? Privationem & habitum versari  
in eodem & circa idem subjectum, in Philoso-  
phia nemo est qui ignoret. Vel ut Philosophus I.  
categ. c. 10, §. II. pag. 82. loquitur ἐπιστήσι δὲ καὶ ἐξίσι λέ-  
γεται ὡς πάλιν π : οἷον ἡ ὄψις καὶ ἡ τυφλότης ὡς ὀφθαλμοί. In qua  
igitur scientia quid verum non est, in ea nec  
falsum esse potest, ait B. Danhauss. Idea b.  
Disp. p. 357. Deinde non magis impossibile na-  
tura est existentia duorum corporum simul in  
uno loco, quam ut ἀεὶ παρ' ἑνὸς pariat; impossibile  
interim absolutè neutrum est, nec falsum, cum  
multa, quò absurdiora, hoc saepè sint veriora.  
Paradoxum est rusticis, solem terrà esse maio-  
rem, Mathematicis verò omnino id est veris-  
simum, tantum abest, ut iis sit paradoxum. Si-  
militer et si absurdum sit Philosophis, duo cor-  
pora esse simul in eodem loco proprio; Theologis  
tamen tam verum est, quam quod verissimum.  
Et quum praedicta quaestio utilitate suà tam in  
Theologia quam Philosophià exuberet; non  
malè nos credimus acturos, in eam si penitus  
introsperimus. Difficultas quidem abster-  
reat, sed quò major illa, eò majus divinum no-  
bis auxilium succursurum firmiter speramus.  
Sit ergò in Nomine DOMINI jacta alea!

QVAE-



# QVÆSTIO:

## Anduo vel plura corpora possint esse simul in uno loco?

### §. 1.

**D**Eo iuvante problematis partes ante omnia confidere- *Subjectum*  
 rare convenit. Subjecti loco habentur *duo vel plu-* *questionis.*  
*ra corpora.* Interest ut vox Corporis à sua æquivocatione  
 liberetur. Sumitur enim variis modis. Philosophantur  
 circa eam aliter Platonici, Aristotelici aliter. De Pla- *Platonici.*  
 tonicis inquit Michael Pfell. *de Dæmonibus: nostri, inquit,*  
*& alii solent corpora quidem crassiora corpora nominare; Corpo-*  
*ra verò tenuiora, & quæ aspectum tactumq; effugiunt, incorpo-*  
*rea frequenter cognominare. Et hoc sensu Dæmones sunt incor-*  
*porei.* Hactenus Pfellus, cui Dæmonum corpora sunt  
 simplicia, ductu flexuque facilia & ad omnem figuram  
 naturaliter seu suapte naturâ apta, modò in breviorum  
 molem contracta, modò rursus in longiorem extensa.

§. 2. Aristotelici vocem corporis considerant, *Aristotelici.*  
 mox ut est in categoria *Substantiæ*, quò modo est Sub-  
 stantia, & hæc quidem vel ut *genus*, quando dicitur Sub-  
 stantia corporea; vel ut *pars*, cum opponitur animæ;  
 mox ut est in categoria *Quantitatis*, quo sensu est *Accidens*  
 & *Substantiæ*, ut solent *Accidentia*, inhæret, ceu in se-  
 quentibus videbitur.

§. 3. Methodicè processuri, ut notitiam vocis  
 dictæ accuratiorem indipiscamur, secundum Faculta-  
 tes eam considerabimus. Certum est, aliter eam sumi  
*Theologis*, aliter *Ictis*, aliter *Medicis*, aliter *Philosophis.* *Theologi.*  
 Videbimus ordine. *Theologi* cum Gentium Doctore  
*1. Cor. XV, 43, 44.* distinguunt inter corpus numero u-  
 num *animale* ac *spirituale*. Per *animale* intelligit Paulus  
 corpus, ut est hac in vita ante resurrectionem, ut indi-  
 get



get alimentis; Spirituale verò, ut erit altero in seculo post resurrectionem, ubi nullis indigebit alimentis, utpote spiritibus Angelicis simillimum. Ubi nota insimul elegantem utriusque comparationem ac oppositionem: *hac in vita, inquit, erunt corruptibilia; in altera incorruptibilia: in hac ignobilia; in altera gloriosa: in hac infirma; in altera potentia.* Habent præterea Theologi corpus, quod vocant *Mysticum*, sub quo Ecclesiam intelligunt.

JCii.

§. 4. *Icti terminum Corporis variè adhibent.* Pomponius in *L. 30. ff.* tria corpora fecit 1.) quod continetur uno Spiritu, ut homo, lignum, lapis & similia; 2.) quod ex tingentibus h. e. pluribus inter se coherentibus constat, ut domus, navis, armarium, 3.) quod ex distantibus constat, ut corpora plura, quæ non soluta, sed uni nomini subjecta, ut populus, grex, legio. An Pomponius distinctionem hanc corporis petierit ex Plutarcho, Alciatus hoc confitens probavit. Videatur Jac. Spigelius in *Lex. Juris Civilis, v. Corpora.*

Medici.

§. 5. Seqvuntur Medici, quorum Medicina pro objecto habet corpus humanum, sanum morbosumvè, conservandum aut reparandum, ut loquitur Gerardus Blasius *Prolegom. Institut. Medicinæ pag. 1.*

Philosophi.

§. 6. Quomodo Philosophi termino Corporis utantur heic referre refert. Usurpatur vox dicta in multis sanè disciplinis. Datur corpus *Physicum*, datur *Mathematicum*, datur *Politicum*. *Physicè*, est altera pars compositi & habet in se principium motûs & quietis, ut tale est, Pererius, *lib. II. de Loc. cap. 3.* Estq; simplex vel mixtum: illud Cælum & quatuor Elementa; hoc vel perfectè mixtum, vel imperfectè mixtum. Vide *Physicos ac Logicos in explicatione categoriæ Substan-*

Physicè



stantiæ. Refer ad *Physicum* corpus *Artificiale*, quia  
 juxta Philosophum 8. *Phys. c. 1. t. 8. pag. 565. D.* ἡ ἐπιπέδη δὲ  
 καὶ τῶν ἐναντίων εἶναι μία; & *Lib. 3. Rhet. c. 2. p. 701. D.* τὰ περὶ γὰρ  
 ἀλλὰ ἐναντία μάλιστα φαίνεται. *Mathematicè* sumitur pro trina *Mathema-*  
*dimensione*, longitudine, latitudine ac profunditate *fi-*  
*ticè*. mul sumtis; Et hoc non est Substantia sed Accidens, Za-  
 barell. *Tab. Log. in Lib. Prædicam. p. 113. 2.* Quomodo  
 præterea Mathematici illud distinguant in corpus *pla-*  
*num & gibbum*, quorum illud comprehenditur à super-  
 ficiebus planis, ut pyramis, hoc superficiei gibbæ, ut  
 Sphæra, illi videantur. *Politice* corpus accipitur pro *Politice*.  
 persona: ut, error in corpore est, si fundus alius pro  
 alio, si hæres alius pro alio scribatur, qui error personæ  
 est. Hisce corporibus Pererius *l. 2. de Phil. c. 3.* adjun-  
 git *Metaphysicum*, sed præter rem. Cùm *Metaphysi-*  
*cus* dicit, Substantiam esse corpoream vel in corpoream,  
 non inde efficitur nova species Corporis, sed est ipsum  
 corpus *Physicum*, quod in *Metaphysicis* dupliciter co-  
 gnosci potest, 1.) quoad quæstionem An sit. 2.) quo-  
 ad quid Nominis. Omne enim Subjectum disciplinæ  
 inferioris debet cognitum esse in scientia superiori his  
 duobus modis jam dictis, docente Zabarell. *l. de tribus*  
*præcognit. cap. 2. p. 502. & l. 1. de nat. Log. cap. 15. & de nat.*  
*scient. const. cap. 2.* Ex variis acceptionibus heic attendi-  
 mus *Physicam*. Atque hæc sufficiant de subjecto nostri  
 problematis, nunc ad Prædicatum.

§. 7. Prædicatum duos potissimum complecti-  
 tur terminos, terminum *potest* & terminum *loco*. De u-  
 trisque pro instituto. Duplex est potentia, *naturalis &*  
*supernaturalis*. *Naturalis* est vel *mere naturalis* vel *moralis*,  
 Zabarell. *lib. de Nat. c. 4.* & Perer. *Lib. 7. acroas. c. 12.*  
 contra Simplicium & Albertum hisce de terminis disse-  
 rentes

Quomodo  
nobis acci-  
piatur.

Prædicatum  
quæstionis.  
Potentia  
naturalis.



*Merè natu- ralis.* *rentes.* *Merè naturalis* est, quæ solo naturæ dictamine ducta agit, seu, quæ ex instinctu naturali agit absque consilio & deliberatione. Dixi, naturam agere. Natura enim est Facultas vegeta & valens, quam DEUS rebus singulis a se factis indidit, Delrius *Tom. 3. Traged. p. 531.*

*Moralis seu Rationalis.* *Moralis seu Rationalis* est, quæ agit quidem naturâ, sed mediante libero arbitrio. Subdistingvunt eam in *plenam*, quæ ex integro consilio & libero Arbitrio agit; & *semiplenam*, quæ nolens volens agit id, quod agit. Præterea naturalis distingui potest in *activam*, hætenus descriptam & *passivam*, quam Fonseca *lib. 9. Metaphys. c. 1. q. 4. s. 1.* definit, quæ viribus naturæ, cum generali DEI concursu potest produci in actum.

*Supernaturalis.* §. 8. *Supernaturalis* est, quæ non agit virtute propriâ, sed virtute divinâ. Aliàs naturali contradistingvunt *Obedientialem*, quâ res aliqua apta est ad actum aliquem supernaturalem cum concursu DEI speciali. Et quia ad Rhombum nostrum facit, requisita ejus, in descriptione comprehensa, distinctius observamus, quæ sunt 1.) *res obedientialiter potens*. An verò res ista sit substantia rei, an non-repugnantia, secundum quam non repugnat rei, elevari ad actum supernaturalem, non disputamus. Videatur Fons. *Lib. 9. Metaphys. c. 1. q. 4. s. 1. 2. 3. 4.* Mendoza *disp. Phys. s. 1. subsect. 3.* aliique. Et licet res hæc obedientialiter potens sit interdum res naturalis, ipsa tamen potentia naturalis dici non debet, quia ad obedientialem plura concurrunt, nam 2.) requiritur *actus supernaturalis*, qualem aliquid suâ vi recipere vel producere nequit. Opponis *cæcos*, quibus CHRISTUS visum suum restituit, in quibus fuit potentia obedientialis ad visum eò, quòd ex viribus naturæ eum recipere non potuerint, visum tamen actum supernaturalem

*Obj.*

lem



lem non esse. Resp. Supernaturale aliquid dici potest dupliciter . 1.) *Entitativè* seu *substantialiter* id est res per essentiam suam non naturalis, e.g. visio DEI beatifica, actus credendi in CHRISTUM, ascensus Eliæ in Cœlum. 2.) *Modaliter* sive quoad *modum*, ubi res quidem est naturalis sed naturaliter non comparata e.g. visus à CHRISTO restitutus. Utroque modo intelligitur in descriptione potentiae obedientialis. 3.) Opus est *speciali Dei concursu*.

§. 9. Ut naturalem in Activam & Passivam distinximus: ita & obedientialem in Activam & Passivam distinctam cupimus. Licet enim Armandus de Bello visu *tr. 2. term. c. 12.* obedientialem restringat tantum ad Passivam, qualis passiva esse dicitur in lapidibus, quatenus DEUS ex iis Abrahamo filios excitare potest; alii tamen obedientialem agnoscunt Activam, qualem docent esse intellectum ad credendum & ad videndum DEUM. Et Fonseca dicit, talem activam fuisse in luto, quo Christus Dominus cœcum à nativitate fecit videntem.

Obedientialis est vel activa vel passiva.

§. 10. Alter terminus in Prædicato contentus est *Locus*, de quo dicit Philosophus *Lib. 4. Physic. c. 1.* *Loci difficiles* ἔχει δὲ πολλὰς ἀπορίας, τί πῦρ ἐστὶν ὁ τόπος id est *Habet autem multas dubitationes, quidnam sit Locus.* Et eodem *Lib. 4. c. 2. p. 492. B.* ait γὰρ ἐπὶ γνώσει τὸ ἐστὶν ὁ τόπος *Difficile esse cognoscere, quid sit Locus.* Nihilominus difficultate non obstante eundem definit *lib. 4. c. 4.* his verbis: ὁ τόπος ἐστὶ τὸ πρῶτον πᾶσι σώματι πῦρ ἀκίνητον πρῶτον id est *Locus est superficies corporis continentis immobilis primò.* Dicitur *superficies corporis continentis*, ergò locus non est corpus nec pars corporis. *Superficies est, non quæ continetur, sed quæ continet.* Superficies est non plana, quæ non est Locus, cum proprium sit Loci ambire, superficies autem plana, ut plana est, non ambit locatum; nec spherica, quatenus

Loci difficultas. Loci definitio.

B fide-



fideratur absolutè, ut est terminus corporis, cui inhæret; sed quatenus consideratur *respectivè*, habito respectu ad contentum, quod ambit. Et hanc vocamus superficiem externam seu extimam in contradistinctione ad intimam. Objicis:

Obj.

*In omni motu locali mutatur locus.*

*Atqui superficies extima corporis continentis in motu locali non mutatur.*

Resp.

*Ergò superficies extima corporis continentis non est locus.*

Resp. Distinguendo inter locum *intrinsecum* & *extrinsecum*. Per illum intelligitur ubi vel ubicatio, ut loquuntur, quæ rem ubicatam intrinsecus constituit ibi, ubi est; per hunc locus antea definitus. Applico ad Majorem: in omni motu locali mutatur locus intrinsecus, concedo, extrinsecus, quem Aristotelicum dixeris, nego. Urges, an

Obj.

vinum, quod ex Franconia in vase Lipsiam devehitur, sit in Loco Aristotelico vel non? Resp. non est proprie, sed est in vase, in quo post vectionem etiam manet, vas autem locum suum mutavit.

Resp.

§. II. Dicitur *immobilis*. Distinguendum est inter superficiem, quæ considerari potest modo duplici. 1.) ut est *commune* Accidens corporis continentis & movetur ad motum ejus. 2.) ut est *proprium*, & sic est locus naturalis, nec movetur respectu locati sed eodem modo semper se habet ad illud. Pergis arietare sequenti hypothetico:

Cur immobilis.

Obj.

*Si superficies extima est locus, sequitur rem immotam mutare locum.*

*Verum est prius. Ergò & posterius.*

Connexionem probas e. g. Turris Thomana Lips. non manet in eodem loco, sed mutatur toties, quoties vehementes venti eam afflant, Resp. Concedimus totum.

Resp.

Tur,



Turris Thomana Lipsiensis dicitur esse in eodem loco tunc non physice sed æquivalenter, eò quòd licet unus locus abscedat, alius tamen semper æquivalens in vicem illius redeat. Alii ergò dicunt immobilem, æquivalenter; alii intelligunt de Loco naturali elementorum, qui sine violentiâ naturæ immutari præsertim secundum se totum non potest. Alii immobilitatem explicant per respectum ad polos mundi immobiles & partes fixas cœli. Alii denique, quos arbitramur omnium proximè à sententiâ Philosophi abesse, in contradistinctione ad vas, quod secundum Philosophum superficies est corporis continentis mobilis. Quare dicimus ex sententia Philosophi, quod immobilitas Loci sit ejus differentia, quâ distinguitur à vase hoc sensu, quòd vas ex natura sua sit mobile cum eo, quod in se continet, locus autem non est ad hoc institutus, ut unà cum locato suo aliò transportetur, sicut vas. Explicationem hanc desumimus ex textu Philosophi.

§. 12. Philosopho distinguitur locus lib. 4. c. 2. Divisio Loci.

p. 491. Τὸ πρῶτον ὁ μὲν κοινός, ἐν ᾧ ἅπαντα τὰ σωματὰ ἵστυ. ὁ δ' ἰδίος, ἐν ᾧ πρῶτος ἱ. e. Locus alius quidem est communis, in quo omnia corpora sunt, alius verò proprius, in quo primò. Seu communis est, qui plura simul corpora sed non primò & immediatè complectitur e. g. Terra, Aer, Aula, Cœlum, Musæum; Proprius, qui unum tantum Corpus primò & immediatè ambit. Hic est æqualis locato, quod de isto dici nequit. Fatemur esse aliquem Locum communem & proprium, diverso tamen respectu e. g. paries respectu hominum est communis; proprius autem respectu aëris. Distinguunt insuper locum in naturalem & violentum. Naturalis est, qui dicente Zabarellá, non tantum continet sed etiam conservat pro facultate

Communis.

Proprius.

Naturalis.



*Violentus.*

conservatrice ipsi datâ, e. g. Terra est locus naturalis lapidis, in quem iste fertur & in quo quiescit ac conservatur. *Violentus* verò est, in quem vi aliquid detru- ditur & propterea in eo naturaliter, nec quiescit nec conservatur, e. g. poma pendentia in arbore sunt in loco violento, fur in patibulo, projectus lapis in subli- me, an ibi quiescat naturaliter quiete positivâ an priva- tivâ, nos parum sumus solliciti. Videatur Murcia in *Lib. 8. Phys. Aristotel. disp. ult. de impuls. quæst. 7. p. 319.*

§. 13. Hisce præsuppositis ad ipsam quæstionem nos convertimus: *An duo vel plura corpora naturalia pos- sint esse simul in eodem loco proprio.* Ad quam quæstionem duabus conclusionibus respondebimus.

*Conclusio I.*

§. 14. *Conclusio I. Duo vel plura Corpora non possunt esse in eodem loco proprio naturaliter.* Conclusio hæc ut facilius innotescat, interest, eandem tam *καταφατικῶς* quàm *ἀποφατικῶς* considerare. *καταφατικῶς* seu affirmativè probamus sequenti syllogismo:

*Duo corpora non esse in eodem loco proprio naturaliter probatur.*

*Quæcunque sententia probatur partim experientiâ; par- tim Autoritate Aristotelis; partim denique ex effe- ctu quantitatis formali, ejus veritas in dubium non est vocanda.*

*Atqui hæc sententia, quæ dicit, duo vel plura corpora non posse esse in eodem loco proprio naturaliter, proba- tur partim experientiâ; partim Autoritate Aristote- telis; partim denique ex effectu quantitatis formali.*

*E. Hæc sententia, quæ dicit, duo vel plura corpora non posse esse in eodem loco proprio naturaliter in dubium non est vocanda.*

§. 15. Minorem quoad singula tria membra probabimus ordine. Et primùm quidem, quòd con- *Experientia* cernit *experientiam*, videmus res quantas non tantùm so- lidas,



lidas, sed etiam eas, quæ ex partibus tenuissimis integrantur, non esse in eodem loco; ut cum aër egreditur ex lagena, cui aqua vel vinum infunditur.

§. 16. Deinde sententia affirmativa per Ari-<sup>Ex Aristotele.</sup>stotelem est verissima, qui 4. Phys. c. 8. text. 47 p. 498. B. *ἰ δύο σώματα ἐν τῷ αὐτῷ τόπῳ non duo corpora (possunt esse) in eodem loco.* Et 4. Phys. c. 6. non procul à fine p. 500. A. inquit: *ἰ δύο δὲ σώματα ἀδύνατον ἀνα εἶναι ἰ. e. duo autem corpora impossibile est simul esse.* Nec non eodem lib. 4. Phys. c. 7. circa finem p. 501. B. C. ubi pluribus videatur.

§. 17. Denique ex effectū quantitatis formali sententia dicta est manifesta, qui est juxta Jesuitam Melchiorum Corneum *Curr. Philos. de Loco & Unic. quest. 2. p. 371.* occupare locum impenetrabiliter & ab eodem loco & spatio excludere corpus simili quantitate affectum. Vel, ut loquitur Fr. Eustachius à S. Paulo *primæ part. Phys. quest. 3. p. 156.* Duplex, inquit, est munus quantitatis respectu loci, nempe locum replere & ab eodem loco quodvis aliud corpus remove. Quod posterius præstat quantitas penetrationi obsistendo, non quidem activè sed negativè, nempe non admittendo alterius corporis subingressum. Ut adeò impenetrabilitas sit passio quantitatis conveniens illi ex natura rei, licet non sit de ejus essentia, ut habet Franciscus Murcia super 4. Phys. Arist. disp. 1. de loco corp. nat. quest. 6. p. 233. a. <sup>Ex effectū Quantitatis formali.</sup>

§. 18. Prædictæ sententiæ huic affirmativæ varia opponuntur. Inter alia sequens affertur argumentum.

*Quodc. fieri non repugnat & factum testatur experientia, id non est negandum.* <sup>Obj.</sup>

*Atqui duo corpora naturaliter posse esse in eodem loco proprio non repugnat & factum testatur experientia.*

B 3

E, Duo



E. Duo corpora naturaliter esse in eodem loco proprio non est negandum.

Non-repugnancia,

Resp.

Minor probatur primò quoad non-repugnantiam, partim quia una quantitas alteram non potest expellere; partim quia quodlibet Accidens corporeum est occupativum loci, & tamen omnia Accidentia ejusdem corporis recipiuntur in eodem loco cum ipsomet corpore. Ergò poterunt etiam recipi diversæ quantitates diversorum corporum. Respondemus ad alterum, licet in genere causæ efficientis, non se expellant, cum juxta Melancthonem lib. 1. Dial. p. 36. & Scalig. Exerc. 352. §. 1. Quantitatum per se nulla sit efficacia sive effectio, ceu facile insinuunt quantitatis ratio formalis & causa, quæ est materia, quarum non est agere sed pati; una nihilominus expellit alteram per naturalem impossibilitatem formalem; sunt verba Jesuitæ Antonii Ruvionis lib. 4. Phys. tractatu de nat. loci quest. 5. p. 359. a. Ad alterum Respondemus, Accidentia non esse occupativa distincti loci sed ejusdem cum corpore ipso & quantitate ejus. Et ratio hujus est, quia nec Substantia, nec Accidentia corporea, excepta quantitate, habent ex sese ullam extensionem mobilis occupativam loci, sed sicut à quantitate extenduntur, sic ab eadem habent esse occupativa loci. Itaque soli quantitati debetur per se locus; Substantiæ verò & reliquis Accidentibus solum ratione quantitatis: & cum una tantum sit quantitas in uno corpore, tantum est una ratio occupandi locum, & omnia nata sunt occupare eundem locum ratione ejusdem quantitatis.

An singula Accidentia habeant sua Ubi?

§. 19. Huc facit quæstio: An singulis Accidentibus ejusdem corporis distinctæ præsentie locales seu distincta ubi correspondeant, si loca eis non respondeant, h. e. quæritur: An tot habeat ubi totq; præsentias res quælibet, quot Accidentia habet



habet realiter distincta, ita ut unum Ubi vel una praesentia cor-  
 respondeat Substantiae hominis, alia quantitati alia qualitati &c.  
 Ad hanc quaestionem invenio duas opiniones, quarum  
 altera dicit Ubi multiplicat; altera non multiplicat. Quae  
 multiplicat distinguit inter Ubi quantitativum & definitivum; per  
 quantitativum intelligit circumscriptivum, aut circumscriptibile, quod  
 habet corpus per conservationem cum loco; per definitivum autem  
 intelligit praesentiam non commensuratam loco, quam habeat ens a  
 propria entitate, actu existente. Hoc Ubi posterius  
 multiplicari dicunt. Ut adeo juxta hos unam ha-  
 beat praesentiam Angelus, aliam intellectus ejus & voluntas aliam & sic  
 deinceps. Quae non multiplicat, existimat, in quacunque Substantia  
 non esse, nisi unam praesentiam: in Substantiis corporeis hanc uni-  
 cam praesentiam Substantiae extendi per Quantitatem & fieri  
 circumscriptibilem: & ita extensam communicari caeteris  
 Accidentibus corporeis. Habent ergo Substantia & Quantitas  
 unam praesentiam, & in quantum ea definitiva est, convenit  
 per se Substantiae & communicatur Quantitati, tanquam  
 Accidenti ejusdem Substantiae, sed in quantum est localis,  
 convenit primo Quantitati & communicatur Substantiae.

Sententia  
multiplicans.

Sententia  
non multi-  
plicans.

§. 20. Qui a posteriori jam dicta sententia recedunt  
 primae suffragantes sic argumentantur pro multiplicatione  
 Ubi seu praesentiae rei:

Obj.]

Quaecunque Entia habent distinctas entitates reales, extra  
 causas existentes, eae distinctas etiam habent praesentias.

Atqui Substantia, Quantitas & reliqua Accidentia habent  
 distinctas Entitates reales, extra causas existentes.

Ergo Substantia, Quantitas & reliqua Accidentia distinctas  
 etiam habent praesentias.

Ma-



Major probatur, quia Ens realiter distinctum ab altero distinctum habet Ubi. Minor probatur ex natura Entium & praeterea, si Deus separaret Quantitatem à substantia, remaneret substantia praesens cum suo Ubi, sicut cum sua entitate: sic etiam Quantitas vel Accidentia reliqua.

*Resp.* §. 21. Nos, qui sententiae posteriori, quae non multiplicari praesentiam statuit, adhæremus, respondeamus ad procedentem syllogismum, negando Majorem, quia non debetur praesentia vel ubi cuicunque entitati reali extra causas existenti. Praesentia fundatur in esse rei. Quia igitur Accidentia non habent esse *per se*, sed

*Obj.* sunt *aliquid substantiae*, ergo eis quoque non debetur praesentia *per se*. Dicis, Substantia & Quantitas habent distinctas praesentias. *Resp.* Negando, unam habent, quae *per se* convenit Substantiae, ut praesentia *definitiva* est, & *per* Accidens Quantitati. Ut autem est *circumscriptibilis* vel *localis*, ex opposito, primo & *per se* convenit Quantitati & *per* Accidens Substantiae, aliis vero Accidentibus communicatur utroque modo *per* Accidens, ceu dictum §. 19.

*Resp.* An *Quantitas* vel *Accidens* aliud possit à *Substantia* separari, ita ut habeat praesentiam propriam ac existentiam extra subjectum? Afirmant pauci, quos inter Rudraufrius *Curs. Metaphys. disp. 18. q. 1.* Jacobus Martini *Partit. Metaphys. p. 739.* Sybothius *System. Metaphys. p. 208.* Negant plures. Ex nostris Meisnerus *Phil. Sobr. part. 1. p. 116.* Gravverus *Prælect. Academ. in Aug. Conf. Abus. III. p. 140.* Hopffnerus *Isag. Tract. Theoret. p. 35.* Gerhardus *LL. T. S. de S. Cæna p. 103.* Danhavv. *Syll. Can. p. 42.* Calovius *Matæolog. Papist. controuv. s. p. 118.* Scherzerus *Brev. Eustach. Quæst. Metaphys. p. 307. &c.*

§. 22. Hactenus minor (quæ de §. 18.) fuit probata quoad non-repugnantiam; nunc probabitur *per experientiam*



*rientiam* scil. factum esse, quod duo vel plura corpora *Experientia*  
 sint in eodem loco. *Ignis penetrat ferrum* i. e. est in eo- *Obj.*  
 dem loco cum ferro. *Resp.* aliud est unam quantita- *Resp.*  
 tem aliam intra *poros* suos & *meatus* proprios recipere,  
 & aliud est, unam quantitatem nullo modo alteri ceden-  
 tem cum ea stare: Primum possibile est naturaliter; al-  
 terum non est. Similis responsio datur ad illa: *Am-Obj.*  
*phora* aquæ plena vel poculum vino plenum *nummos* in-  
 tra se recipit absque aliqua expulsionem aquæ: *aqua*  
 penetrat *panem*; sed penetratio hæc fieri nequit, nisi  
 per simultaneam existentiam eorum cum aqua in eo-  
 dem loco. Sic in *vase*, cineribus plenô, tantam reci-  
 pi, ajunt, aquam, quanta reciperetur, si vacuum esset.  
 Sed responsioni superadde distinctionem inter *labra, Resp.*  
*amphoræ sicca & madefacta.* Quatenus sicca manent,  
 aqua non effunditur; sed si madefierent. Tantam  
 etiam aquæ copiam recipi in cinerem, quanta recipere-  
 tur, si vacua esset, adduci non possumus ut credamus:  
 potius censemus, vas cineribus plenum aquam in poris  
 recipere & per receptionem aquæ constipari cineres,  
 adeoque utrumque corpus ad minorem locum reduci-  
 tur. Hisce adde responsionem non minus veram Cor-  
 nei Jesuitæ *lib. 4. Phys. de Loco & vacuo qu. 2. p. 372.* quum  
 dicit: *Vinum è poculo, cum aurei in fundum conjiciuntur, non*  
*effluit, non quia aurei cum vino penetrantur, sed quia vinum ob*  
*siccitatem labrorum poculi refugiens, & in medio colligens, at-*  
*tollitur in cumulum, & quantum ex fundo expellitur & exclu-*  
*ditur, tantum supra eminent.* Ad quod multum jurvat 1.) ipsa  
*humidi natura, quæ se in globum naturaliter convolvit, ita ut*  
*superior superficies nunquam plana sit, sed in tumorem circulare*  
*exsurgat.* 2.) Ipsa circularis superficiei natura, in qua velut  
*in fornice quodam una pars alteram continet & vicissim stringit.*  
 C 3.) *Aerea*



3.) *Aërea vini levitas, neque enim vinum tam grave est atque aqua, unde plus aureorum in Scyphum vino quam aquâ oppletum, injici posse arbitraris.*

*Obj.* §. 23. Plures afferunt experientias, quibus duo vel plura corpora naturaliter in eodem posse esse loco evincere conantur, ut quando vitrum plenum est aëre, adhuc tamen plus aeris solemus flatu violento intrudere. *Resp.* Ergò tum datur penetratio. Sed *Resp.* tum unus aër stipatur, & condensatur, ut alter locum desertum occupet. Nam rarefactionem & condensationem absque penetratione fieri, Physici in libro de generatione ostendunt.

*Obj.* §. 24. Ventum per aerem vagari prætendunt. *Resp.* gratis supponitur, ventum penetrativè moveri per aërem, cum potius dicendum sit, eum per medias aëris partes divisas discurrere; ad eum modum, quo aves in aëre volitant, & pisces mediis in aquis natant, sine ullâ penetratione.

*Obj.* §. 25. Spiritus vitales obtendunt, qui per omnes corporis partes excurrant. *Resp.* Cum spiritus vitales sint tenuissimi, mirum non est, quòd per poros, qui in corpore sunt frequentissimi, huc illuc facilè transferri possint. Et quæ plures sint ejusmodi experientiæ, quas objicere solent, qui corpora duo vel plura naturaliter sive per naturam in eodem loco simul posse esse confidentur. Est enim par ratio omnium, scilicet posse sic infinita corpora in eodem esse loco, si in eo duo essent. Atque hæc dicta sunt de conclusione prima; pergimus ad secundam.

*Conclusio II.* §. 26. *Conclusio II.* Duo vel plura corpora posse esse in eodem loco proprio supernaturaliter. *Conclusio-* posse esse in nem hanc sequenti stabilimus Syllogismo:

*Quic.*



Quicquid fieri non repugnat & factum testantur partim Pa- eodem loco  
tres, partim Scholastici, partim ipsa Scriptura, id te-<sup>Supernatu-</sup>  
merè non est negandum. <sup>raliter pro-</sup>  
<sup>batur.</sup>

Atqui duo vel plura corpora posse esse simul in eodem loco  
proprio supernaturaliter, fieri non repugnat & fa-  
ctum testantur partim Patres, partim Scholastici, par-  
tim ipsa Scriptura.

Ergò Duo vel plura corpora posse esse simul in eodem loco  
proprio supernaturaliter temerè non est negandum.

§. 27. Majorem, spero, ex facili concedes. Mi-  
norem quoad singula membra probabimus. Et qui- 1.) Non re-  
dem 1.) quod non repugnet, probamus partim omnipo-<sup>pugnat.</sup>  
tentiâ DEI; partim argumento ex loco Comparato-  
rum, à minori ad majus, petito. Primùm Omnipoten-<sup>Omnipoten-</sup>  
tia DEI. Pollet enim Deus potentiâ non finita sed in-<sup>tia DEI.</sup>  
finita, quâ <sup>δυνάμει</sup> ὑπὲρ πάντα ποιῆσαι ὑπὲρ ἅμπερος, ὡν αἰτέμεθα,  
ἢ τοῦμοι Ephes. III. 20. A qua potentia omnia sunt, quæ-  
cunque sunt, juxta illud Philosophi cap. 6. Lib. de mundo  
p. 1215. B. ἐκ οὗ πᾶντα, καὶ διὰ θεῶν ἡμῶν συνέστηκε.

§. 28. Deinde à minori ad majus. Considera, <sup>A minori ad</sup>  
mifelle homuncio, qui Conclusionem nostram negas, <sup>majus.</sup>  
mirandam potentiæ naturalis h. e. quâ pollet natura,  
operationem. En adfero vitrum, infunde vinum ru-  
bicundum, in vinum immitte crySTALLUM, in crySTALLUM  
arte sit inclusa musca vel aliud quoddã corpus densum  
seu opacum: aspice porrò vitrum eodem modo, ut di-  
xi, repletum, & fatebere, quòd videas uno eodemque  
aspectu & vitrum & vinum & crySTALLUM & muscam &  
quidem unumquodque in distinctâ suâ Quantitate ac fi-  
gurâ. Non negabis, scio. Jam constat, visionem fie-  
ri in oculo ita, ut species visibilis oculo imprimatur. Er-  
gò in uno puncto & humore crySTALLINO (qui se respectu



illius speciei habet instar loci) erit simul figura & quantitas vitri, figura & quantitas vini, figura & quantitas crystalli & tandem figura & quantitas muscæ intentionaliter. Neque hoc negabis. Rationem quidem hinc dare quodammodo possum, quia actio merè naturalis est, nempe id fieri propter pelluciditatem vitri, vini, crystalli, quæ specierum penetrationem intentionaliter admittit. Jam argumentor:

*Quodcunque potest natura intentionaliter, id potest DEUS præstare realiter.*

*Atqui hoc, quod attuli, potest natura intentionaliter.*

*Ergò, id potest DEUS præstare realiter.*

Major probatur, quia DEUS est infinite potentior natura. Ergò etiam modo infinite perfectiore scit operari quàm natura. Ergò id quod natura tantum potest similitudine, DEUS potest in rei veritate. Ergò DEUS potest in uno loco diversa quanta collocare realiter, ita tamen, ut se non permisceant vel confundantur: quemadmodum neque in aëre, neque in speculo sive oculo (licet simul sint & sese penetrent) species illæ, & modi quantitativi se permiscent, confundunt vel tollunt. Tota itaque ratio, quâ statuimus, DEUM posse id, quod natura non potest, quod homo non intelligit, quod creatura nescit, est infinita & sapientia & potentia. Operum ergò inde provenientium mensura non sit intellectus noster, sed hujus mensura sint opera illa. Non dicat intellectus noster: hoc DEUS non potest, sed fateatur, quod DEUS possit, se intelligere non posse.

2.) *Probant* §. 29. Probamus 2.) minorem, hoc factum, tenentur. \*) *Patres* apud Murciam super 4. Lib. Phys. Arist. disp. 1. de loco. cap. nat. quest. 6. nempe Ambrosius Lib. 10. in Lucam capite 24. Cyrillus Catech. 18. Damascenus



scenus *Lib. 8. de fide cap. 28.* Anselmus *libro de Similitudinibus capite 53.*  $\beta$ ) Scholastici, Thomas 3. parte. q. 54.  $\beta$ ) Scholastici. art. 1. in 4. d. 43. q. 2. art. 2. q. 3. ad 2. & 4. & super Boetium de Trinitate quando de causarum pluralitate quest. 5. art. 3. D. Bonav. in 4. d. 49. parte 2. art. 2. qu. 1. Richard. ibidem art. 2. q. 5. Suarius 3. part. qu. 54. art. 4. disp. 46. sect. 5. Rubio lib. 4. Phys. Tr. de nat. loc. quest. 6. Denique  $\gamma$ ) Te-  
 ptura. statur id fides seu Scriptura. In Nativitate CHRISTUS egressus est ex utero virginali clauso, atque integro permanente, & clauso sepulchro egressus est etiam in resurrectione & ingressus ad discipulos januis clausis. Atque hæc omninò per penetrationem sacri corporis cum corpore virginis, cum lapide sepulchri, & cum januis facta sunt. Ergò nec impossibilis est penetratio corporum, nec etiam, quòd plura simul occupent eundem locum. His adde efficacissimum Pauli testimonium ad *Hebr. IV. 14.* (juxta Germanica Biblia nostra est *cap. V.* statim ab initio,) ubi de ascensu CHRISTI in cœlum ait: *habentes ergò Pontificem, qui penetravit cœlos IESUM Filium Dei.* Sed de hoc rectius pluribus Theologi videantur, inter alios B. Balduinus in *Commentario ad Philipp. cap. 3. p. m. 1018.*

§. 30. Contra probatam sententiam objiciunt, quod CHRISTUS in egressu ex utero & ingressu ad discipulos transierit ab extremo ad extremum, non transcundo per medium; nam præterquam, quòd hoc inauditum est, frustra re-  
 Obj. Resp. ritur, ad hujusmodi transitum, cum non minus vires naturæ excedat, quàm impenetratio duorum corporum ab omnibus recte docentibus admissa.

§. 31. Durandus in 4. d. 44. qu. 6. sic argumentari videtur:

Quicquid implicat contradictionem, id per potentiam DEI fieri nequit. Obj.

C 3

Atqui



*Atqui duo vel plura corpora esse in eodem loco, implicat contradictionem.*

*Ergò duo vel plura corpora esse in eodem loco per potentiam DEI fieri nequit.*

Major est manifesta. Minorem probat sequenti hypothetico :

*Si duo corpora possunt esse in eodem loco, sequitur, etiam duas partes ejusdem corporis posse esse in eodem loco.*

*Posterius est absurdum. E. & prius.*

Nexus probatur, quia sicut distinctis partibus ejusdem corporis debentur distinctæ partes loci : sic distinctis corporibus debentur loca distincta : Ergò non est major repugnantia in uno quàm in altero. Absurditas seu minor probatur, quia partes ejusdem corporis ab intrinseco habent h. e. ex propria extensione, qua una est extra aliam, distingui situ & positione. Ergò repugnat, quòd in eodem loco unius includantur plures, ut in loco digiti caput & pedes &c. Nam si hoc posset fieri, possibile etiam esset, ut omnes reducerentur ad locum digiti & consequenter totum corpus in eo includeretur & tunc pars esset *æqualis toti* & in loco minore includeretur major, *monsq;* posset transire per foramen parvum. Præterea collegit Durandus, si duæ partes *Quantitatis permanentis* simul esse possunt in eodem loco, partes etiam *quantitatis successivæ* simul esse possunt duratione. Probatur consequentia, quia sicut permanentes habent intrinsecum ordinem extensionis, & nihilominus possunt habere eandem extensionem realem : eodem modo licet partes *successivæ* habeant ordinem successionis, poterunt esse simul, quod manifestè repugnat, quia eo ipso tolleretur ordo prioris & posterioris, atque adeo ordo successionis eis intrinsecus.

cus.



cus. Ergò non minùs repugnabit, quòd partes quantitatatis permanentis simul sint in eodem loco.

§. 32. Respondemus ad Principalem Syllogismum, negando ejus minorem. In profyllogismo concedimus nexum majoris illius: *Si duo corpora possunt esse in eodem loco, sequitur etiam, duas partes ejusdem corporis posse esse in eodem loco.* Ratio est, quia quantitas absolvitur ab actuali expulsionem alterius quantitatatis ab eodem loco. Negatur ergò absurditas posterioris. Num pertinere Durandus putet ad essentiam quantitatatis, quòd partes ejus habeant distinctum situm & dispositionem in loco? nullatenus, ne propria quidem est passio ejus, ut statuit rectè Rubio *Lib. 4. Phys. Tr. de Natura Loci quæst. 6. in fine.* Erit corpus nostrum in altera vita quantum, sed sine loco. Ad essentiam quantitatatis solùm pertinet, habere unam partem extra aliam inter sese h. e. distinctæ magnitudinis & modis cum aptitudine formali occupandi locum, ita ut quælibet pars sit apta occupare distinctam partem Loci & expellendi aliam ab ea.

Resp.

§. 33. Quòd §. 31. dicebatur, *omnes partes* reduci ad locum *digiti*, & consequenter *totum corpus in eo digito* includi, quod videtur absurdum, quum totum semper sit majus suâ parte. Ad id respondemus, licet omnes partes corporis confluant ad Locum unius digiti per penetrationem, non tamen sequitur, totum illud corpus non esse majus digito, quia totum semper plures partes amplioemque extensionem postulabit, quæ scilicet omnes partes per replicationem ad unum situm unumque locum digiti compellentur. Sicut non desinunt mille panni ulnæ, ad unius ulnæ magnitudinem replicatæ, millicuplo majorem magnitudinem in se includere,

Obj.

Resp.

re,



re, quàm sit longitudo unius ulnæ. Carol. Franciscus  
d'Abra de Raconis *Tert. part. Philos. disp. de Loco tr. 2.*  
*quest. 2. p. 8r.*

Obj.

§. 34. Opponunt præterea, sicut repugnat, quòd  
*una pars motûs* excurrat simul cum alia. Verùm nega-

Resp.

tur *paritas*, quia, cum motus sit ens *successivum*, de cujus  
ratione est, ut una pars sit post aliam, apertè implicat,  
quòd duæ illius partes eodem tempore excurrant: at  
duæ quantitates eodem tempore existunt, nec habent  
absolutam inter se repugnantiam quoad locum. Con-  
firmatur hoc exemplo CHRISTI, qui simul est in duobus  
locis, etsi nequeat simul esse in diversis temporibus.

Obj.

§. 35. Denique opponunt corpora, quæ simul  
poni dicuntur, vel *realiter immutantur vel non*. Primum  
est contra hypothésin; secundum si esse dicatur, non be-  
ne *concipi* id potest, quòd cum duo corpora nequeant si-  
mul esse naturaliter, possint simul poni supernatura-

Resp.

liter. Resp. Posterius facile concipi posse existimo.  
Si DEUS *duas qualitates e. g. Calorem & frigus* conser-  
vare potest in uno subjecto, aquâ, cur non & quantita-  
tes in uno loco proprio. Cur non suspendere possit  
influxum necessarium, ne una quantitas aliam ab eo-  
dem loco formaliter expellat, sicut suspendit influxum  
necessarium, ne una qualitas aliam formaliter ab eodem  
subjecto expellat, si vellet utramque simul conservare.  
Sed quum addita fuerint exempla, quid verbis opus  
est pluribus? potentiam DEI infinitam agno-  
scamus impotentes.

S. D. G.

Co-



# COROLLARIA.

I.

Divisio in substantiam corpoream & incorpoream iusta non est.

II.

Signa quantitativa in Logicis sunt de enunciationum ipsarum essentia.

III.

Philosophia non est ens Collectivum.

IV.


Logicus de contradictione judicare non debet.

V.

Non omne, quod componitur ex entibus, est ens.

VI.

Metonymiam, Tropum illum Rhetoricum, sine Metaphysica non intelliges.



D

Pre-



*Ad Praestantissimum*  
Dn. Respondentem.

**P**osse, rogas, corpus corpus penetrare, sed  
audi:

Mentem jam penetrat nonne Sophia  
tuam?

Num penetrâsse negas jam tum juvenilibus  
annis,

Pallida multijugam pectus, Amice,  
tuum?

Aures ergò, precor, tua didita fama Nepotum  
Magnatumq; tui corda penetret Amor.

L. J. F. P. P.

---

*Ad Doctissimum*

DN. RESPONDENTEM,

Amicum Dilectissimum,

**C**orpora plura loco non uno posse morari,  
Naturæ constat viribus usque suis:

Attamen id præstat naturæ Maximus Autor,  
Ut maneant uno corpora plura loco.

Euge! juvante DEO, quando, FERBERE  
suavis,

Differis hac, adsit gratia larga, precor!

PRÆSES.

Hia-



571

## Hendecasyllabum.

**I**Ratámne putas Heram bicollis  
Montis, (quæ Clario liquore sæpè  
Tam largè tibimet rigavit ora,  
Ut promulsidè suaviore tincti  
Manârint numeri, Catullianis  
Vel Metris similes Maronianis.)  
Quod jamjam melicam lyram reponis  
Et dextrâ clypeum tenes Sophiæ,  
Quod nunc in physeos secretiores  
Intras cum Sophicâ tribu cavernas,  
Sumens Pieridum sacros furores.

Verum jurgia non cient puellæ  
Hæ, sed sæpè sororio favore,  
Amplexu sociantur osculisq̃,  
Hortis in prasinis rosas olentes  
Æquè ac lilia cernimus vigere:  
Sic & sede morantur hîc in una  
Diva, & tergeminum Sophos, Poësis.

Hinc, FERBERE, decusque flosque Pindi,  
Virtus vivida Virginis Patrimæ,  
Patris delictumq̃; gaudiumq̃;  
Gratamur merito Tibi Phaleucis  
Sexcentis merito Tibi Phaleucis.  
Ast, horâ nimium cito avolante,  
Sexcentis, Leonharde, pro Phaleucis  
A nobis cape pauculos Phaleucos.

Præstantissimi Domini Respondentis

Confalinorum.

Nul-




**N**ullus ut argento Valor est, quod pondere iniquo  
Telluris clausum viscera cœca tenent,  
Sic valor est nulli, sua qui sibi dona reservat  
Condita sub gelidò pectoris usque sinu.  
Ast sua qui alternis gaudet renovare loquelis  
Factaque fallaci solvere verba modo;  
Huic honor, huic valor est: quod tum conaris, Amice,  
Gratulor & studiis optima quæque precor.

*In honorem Literatissimi atque Præstantissimi  
Dn. Respondentis*

*deproperab.*

**M. I. G. I.**



*Coll. diss. A. 36, misc. 61.*